



//219r//

Incipit libellus fratris Ricculdi ad nationes orientales.

I) Prohemium

1) «MEssis quidem multa, operarii uero pauci. Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite etc.», Lc. 10[2] Dominus noster Ihesus Christus, «qui uult omnes homines saluos fieri et ad agnitionem ueritatis uenire», [I] Tim. 2[4], pie compatiens de tanta perditione generis humani, familiariter⁽¹⁾ et efficaciter contulit cum suis discipulis in euangelio, ut salubriter et celeriter mundo succurrerent, dicens: «Mensis etc.». Ubi ad hoc prosequendum tria ostendit, scilicet causam materiale siue materiam ualde indigentem et affluentem, unde «Mensis multa»; causam efficientem instrumentalem ualde deficientem, «Nam operarii pauci»; causam uero principalem agentem, maxime uolentem et desiderantem. Unde «Rogate ergo Dominum etc.»

2) Et quidem causa materialis et indigens, quia «mensis» et quia «multa». Nam totus mundus in maligno positus est et multum deficit a cognitione diuina, maxime uero partes orientales.

3) Causa uero efficiens instrumentalis multum deficit a procuratione sollicita et fideli, dum omnes uidentur querere, que sua sunt. Unde «operarii uero pauci».

4) Causa uero perficiens et diuina est ualde parata, immo promptissima. Unde ait: «Rogate Dominum etc.». Ubi rogat, mandat et promittit, rogat deprecationem: «Rogate»; mandat predicationem: «Ite»; promittit plenam procurationem, unde: «Nihil tuleritis in uia», sed omnia paratus est procurare suis expensis etc. Ad hoc igitur efficacius prosequendum, tria principaliter mouere debent predicatorum, scilicet status mundi periculosus, actus peccatorum infructuosus, respectus diuinus affectuosus et ui//219u//scerosus. Ps. [118,155]. «Longe a peccatoribus salus», ecce primum; «Iustificationes tuas non exquisierunt», ecce secundum; «Miseracordie tue multe, Domine», [Ps. 118,116] ecce tertium.

5) Sed quomodo longe a peccatoribus salus, cum ipse uelit omnes homines saluos fieri etc. At ibi est yppalage, id est locutio conuersiua. Unde longe a peccatoribus salus, id est isti sunt longe a salute. Ipse autem, quantum in se, prope est omnibus inuocantibus eum, unde longe a [peccatoribus]⁽²⁾ salus. Nec dicit quantum longe, sed indeterminate longe,

uel quia in infinitum distant ut non possint redire, nisi Dei beneuolentia reducantur, uel quia non est eadem distantia omnium, sed quidam longe, quidam magis longe, alii uero maxime longe.

6) Nam quasi omnes habitantes orientalem plagam aut sunt christiani sed heretici, 'Heretici: Notandum quod hic uel ubicumque appello eos hereticos dico opinatiue, et non certitudinaliter. Nondum enim diffinitum est per papam, utrum sint heretici illi iacobini et nestorini orientales. Sed sunt argumenta pro et contra, et expecto determinationem papalem uel etiam magistralem. scilicet iacobini uel nestorini, aut sunt iudei, aut sunt sarraceni, aut sunt tartari siue pagani.

7) Et quidem christiani illi non uidentur multum longinqui pro eo quod legem plenam habent et integram, scilicet uetus testamentum et nouum, et incarnationem Christi uerbis simplicibus confitentur. Sed tamen quantum ad modum incarnationis, quem ponunt, multum distant a uero ut infra patebit.

8) Iudei uero magis uidentur distare, quia nec nouum testamentum recipiunt, nec intellectum perfectum ueteris testamenti, sed in sola legis littera dampnabiliter detinentur quamuis in se lex ipsa sit sancta.

9) Magis tamen ac magis longe uidentur esse sarraceni, qui nec legem habent nec intellectum; legem quidem habent diabolicam et mortiferam, licet in ea multa contineantur utilia.

10) Maxime uero distare uidentur tartari et pagani, qui nec intellectum habent nec legem, nisi legem nature, nec templum nec ieiunium, nec aliquod adminiculum, quod eos uite spiritualis coniungat. Et ita sunt aliqui magis ac magis longe quantum ad statum.

11) Sed tamen quantum ad effectum appropinquationis et conuersionis est totum contrarium in predictis, nam, experientia teste, tartari facilius conuertuntur quam sarraceni, et sarraceni quam iudei, et iudei //220r// quam christiani.

12) Ut autem fratres, qui uolunt ire ad nationes orientales, facilius possint reducere ad uiam ueritatis errantes, dicendum est de unoquoque predictorum. Et primo de christianis, secundo de iudeis, tertio de sarracenis, quarto de tartaris. Et de quolibet istorum duo principaliter et generaliter scire oportet, scilicet motuum eorum in quo errant, et qualiter facilius ualeant reduci.

13) De christianis autem primo dicendum est de nestorinis, secundo de iacobinis.

1. *ms*: familialiter.

2. peccatoribus *suppl.*